



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

19. Respondetur Centaurorum oppugnatoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

se, aut Chimera putat? Sic orator de his monstris loquitur. Polyhistor autem in hunc modum: *Ac ne in montes natos eamus, Pindum, & Oibryn agitent, qui Lapitharū originem prosequuntur, Ossam, quos Centaurorū fabulis immorari iuuat.* Sed Philosophi præcipuè hinc se opponunt. Nam præter Lucretium, qui Philosophis meritò debet ascribi, Seneca sic pronunciat: *Et hæc qua sunt, rerum natura complectitur, qua animo succurrunt, tanquam centauri, gigantes, & quidquid falsæ cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam.* Maximus autem Tyrius Platonice ait: *Hæc sunt Centaurorū fœtiones. Hoc Gorgones, Geriones, Cecropes sibi volunt.* Ad Philosophos accedunt medici, Claudius Galenus inter *adūvata* seu illa, quæ esse non possunt, ponit, ex hominibus & equis Magnesijs Hippocentavros nasci. Quòd si quis etiam vult testimonium habere Iurisconsultorum, Iustinianum Imperatorē audiatur: cuius hæc sunt: *At si quis rem, qua in rerum natura nō est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.* Idem I. C. Celsus, Accursius & alij docuerunt. Ne Theologi desint, & SS. PP. *His temporibus,* inquit S. Augustinus, *fabula fœtæ sunt de Triptolemo & c. de Minotauro & c. de Centauris, quòd equorum hominumq; fuerit natura coniuncta.*

His authoribus authores à nobis suprà citatos; & oculatos testes oppono. Vnicus è Poetis (quī tamen potiùs Philosophus est) Lucretius negat, alij omnes vnanimi voce aiunt. Quòd si in similibus exigua est fides Poëtarum; historicos habemus. Habemus & Medicos, & Iurisconsultos, qui eiusmodi bifformes fœtus in nefandæ libidinis puniendæ argumentum traxerunt. Habemus & Theologos, qui disputant, an, & quando talis partus pro gemino animali, aut homine solo, vel bestia sola, habendus, alendus, vel baptizandus sit? Senecam non moramur, qui eodem loco cum ponat *Centavros, Gigantes, & quidquid aliud falsæ cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit,* ansam nobis præbet, qua contra illum met vtamur. Si enim eadem est ratio Centaurorum, quæ Gi-

gantum,

Selin. c. 13.

Senec lib 8. epist. 59.

Maxim. Tyr. serm. 34. Galenus l. 3. de vsu part.

Instit. de inutilib. stipulationib. §. 1.

1. Si ita stipulatus 97 in prin. D. de verbor. oblig.

XIX.

Henric. Gandau quodl. 6. q. 14. Couarruias l. 4. c. 2.

Gen. 6. 4.

Deuter. 2. 11.

Ibid. v. 20.

2. Reg. 21. 18.

1. Reg. 17. 4.

Artemidor.
Dald. l. 2. de
de somnior.
interpret.
cap. 49.

gantum, ita nobis licet ratiocinari: Sed Gigantes reperiuntur, ergo & Centauri. De gigantibus diuina littera affirmant. Diluuij enim tempore *gigantes erant super terram*. Et post diluuium fuerunt. *Emim, populus magnus & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur*. Et paulo infra de terra, qua a Deo filijs Lot assignata est: *Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonia vocant Zomzommim, populus magnus, & multus, & proceratitudinis*. Saph quoque fuit *de genere gigantum*. Neq; Goliath Philisthaorum Polyphemus paruus fuit. Vidimus denique & ipsi Gigantes, quos qui cum Seneca nullos vsquam esse putat, est in credendo nanus. Sed superest praecipua ratio, ob quam Artemidorus Daldianus, alijque Philosophi existimant Centauros, & Hippocentauros, & quaecunq; monstra plurium specierum formas pra se ferentia, esse mera somnia & Chimeras. Fieri enim non potest, duas naturas completas in vna specie coalescere, aut vnum animal partim bestiam, partim hominem, hoc est, rationis particeps & expers esse. Atqui hoc non dicimus. Neque enim in Satyro, vel Centauro admittimus naturae, sed figurae duntaxat duplicitatem. Quid referat, membra aliqua in formis partialibus errare, si reliqua & praecipua sint humana? Cur anima humana, quae potest corpus hominis regere sine omni pede, aut etiam ligneo pede, non possit etiam vti pede pedem caprinum imitante, aut equinum? Vel ergo solum erit homo eiusmodi monstrum, sed ob alienos pedes, monstrosus; vel solum bestia erit, sed ob humana quaedam membra, itidem monstrosa; ex ijs quae agit dignoscenda. Quamquam igitur non nego, saepe, qui Centauri, Satyri, Fauni putabantur, malos daemones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, ut homines terrerent; verum tamen eiusmodi animalia existere posse, semper profitebor. Illud certe monstrum, quod D. Hieronymus scribit S. Antonio in eremo apparuisse, cum dicatur locutum fuisse, bellua esse non potuit; debuit ergo vel daemon, vel homo fuisse. Quod esse posse neque S. Hieronymus negauit, neque D. Augustinus refutauit; qui cum alijs SS, Patribus & Iuriconsultis, ac Philo-

ac Philosophis aliud nihil voluit reijcere, quam hæc monstra prout à Poëtis describuntur, duas naturas, videlicet humanam & equinam, simul complectentia, quarum vna scæno, altera vino gauderet: neque opus duplici ventre, & stomacho, aut quadruplici pede, cum, vt supra ex Eliano docuimus, Onocentauri manibus loco pedum nitantur, quando celerandum est. In hanc sententiam etiam scribit Franciscus Ferdinandus de Cordoua. Qui post Delrium, hæc pleraque copiosius disputauit. Verùm his affatim probatum est, gigni monstra; nunc curea vel à natura gignantur, vel ab authore naturæ gigni sinantur inquiremus.

Franc. Ferd.
de Cord. in
Didascal.
Multiplici.
c. 8. Delrius
Comment.
in Herculem
Oeteum So-
neccæ.

CAPVT XLIX.

*Iniquas hominum de Monstris & monstrosis querelas com-
pesci ex eo, quod monstra & monstrosi sint Dei opus,
& eorum irrisores diuinitus puniantur.*



Vplex iniuria est, si quis inde contumeliã patitur, vnde laudari merebatur. Quare & illi gemina poena digni sunt, qui Deum in operibus suis non solum laude nulla afficiunt, sed etiam murmurando blasphemant. Hanc ob causam, meritò illis, qui denario diurno non contenti murmurauerunt, iratus paterfamilias dixit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Vnusquisq; ob proprium suum peccatum damnatur*, ait S. Basilius, *ita & qui murmurauerint, ob murmurationem. Verùm sæpe alij alia de causa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quòd vnde ventrem suum distendant, non habent (vt qui gula præter modum dediti sunt. & ventrem faciunt Deum suum) illi verò, quòd in pari honore habeantur cum nonisimis, in quo apertè indicant suam inuidiam, quod vitium multis in locis solet scriptura coniungere homicidio. Alij præterea alia de causa. Qualis causa est, si parètib; nõ conceditur, quod optant; imò si datur, quod horrent, pro pũchra prole deforme monstrũ. Nam eiusmodi monstrosũ partũ, in alijs rebus, vt plantis, & bestijs miramur, miseramur in hominibus; neque satis sibi suam infelicitatẽ deplo-
plorare*

I.

Matth. 10. 15.
S. Basl. in
reg. breu.
q. 63.